

pro vno capitibus, proteruiore redduntur ad nocendum. Quanquam alia quoque cedendi fuit necessitas: præterquam enim quòd mihi graues in aula sequenda faciendi erant sumptus, & deserenda rei literariæ cura: hoc tamen effugere non licebat, quin postea eorũ censura subiaceret, quidquid imprimerem. Quid autẽ imprimi passi fuissent? nisi forte mihi sumpsissem summulas Mādreston, logicã Enzinas, Angesti moralia, physicã Maioris, breuiariũ & missale. Ita & Sacris literis & ingenuis perũisset mea opera, quam vtrisque hætenus impendere conatus sum, & in reliquũ vitæ tẽpus firmo animi proposito dicaui. Obiiciet forte quispiam: quũ pro bona causa pugnarent, tantum in serie actionis peccasse. Hic pro me nullum verbum respõdeo: ex re ipsa iudicium fiat. Quando enim lucem subterfugerunt, ne palàm fieret cur dãnari curassent excusa à me Biblia, quod se tamen Regi Francisco, eiúsque successori Hẽrico facturos receperant, nunc ex eorum archiuis seniorum Collegii opera mihi reseratis, prodeant omnia quæ in Biblijs, Indice, Psalterio & Nouo Testamento cum annotationibus censuerunt esse